



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Prosper Stellartius n. 88

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Vindicatur
à calum-
nijs.

rum scripta euolissent diligentius, hanc viuendi normam Societatis IESV, quoad eam partem, quæ constat Votis simplicibus post biennium emissis in Religione approbata, eiusdem prorsus rationis esse cum primis illis exordijs Monachismi, & antiquo statu Monachorum Basilij, Augustini & Benedicti, comperissent. *Hactenus Basilius Pontius seculi nostri, & antecedentis felix prodigium. Ita apud P. Gabrielem Henao de scientia Media Historice propugnata num. 147.*

Ignatius,
Societas,
& Nomen
laudantur.

88. A PROSPERO STELLARTIO, *In Fundamentis ac Regulis omnium Religionum cap. 38. fol. 544. loquens de Societate, hoc præclarum edidit ille testimonium.* Inter præclaras, quæ Christo militant Religiones haud mediocrem locum sortitur Societas IESV. Auctorem habuit Virum Sanctitate præclarum, iamque in canonem relatam Ignatium de Loyola genere nobilem, domo Cantabrum, &c. Huius autem Sacræ Societatis sectatores apud Hispanos, & Italos Theatini passim vociferantur: male tamen, cum Institutum Theatinorum sub S. P. N. Augustini regula merentium fundatorem habeat Petrum Caratam Neapolitanum Episcopum quondam Theatinum, vnde nomenclatura dimanauit. Franci, atque Nostrates Belgæ Iesuitas appellarint, nobili quidem Nominè, &c. Cæterum huius Illustris Societatis IESV præcipuum studium est Ecclesiæ inter varios Hæreticorum assultus quassatæ, ac periclitanti totis neruis succurrere, docendo, prædicando, scribendo, fidelium confessiones audiendo: quibus in muneribus præclari admodum inter eos enituere viri, quorum plures Indos, & Iapones Euangelij face collustrauere. *Hæc scriptor grauissimus.*

Huius studium, Ecclesia inter Hæreticorum assultus periclitanti succurrere.